-ctum fuerit, et si commixtio carnis illic secuta fuerit, ad priorem tamen societatem
in qua sacramentum conjugii sanctificatum est, et post quam secunda copula illicita omnino judica-
tur, redire debebit. Sed dicis mihi: Aliquis promisit, sive forte juravit ali-
cui se usque ad tempus constitutum placitum illam ducturum, et illa similiter promisit vel
juravit se illi nupturam. Statim mutato proposito alter sive uterque ad ali-
enam societatem transit, et ille aliam uxorem ducit, et illa marito alio nubit.
Quid quaeso faciendum est? Numquid propter priorem sponsionem secundae foederationis pactum scin-
dendum est? Sed considera quia longe aliud est promittere, atque aliud facere. Qui pro-
mittit, nondum facit. Qui autem facit, ut faceret facit. Ideo qui promittit et non facit, promittit
mendacium est. Ideo qui facit et si postea factum poenitet, tamen factum omnino est factum est.
Sic ergo qui se promisit uxorem ducere, non adhuc tamen uxorem duxit; et quae spopondit se
nupturam, nondum nupsit. Non conjugium adhuc fuit, sed futurum esse debuit. Cum vero
postea et ille uxorem duxit, et illa marito nupsit, jam conjugium fuit utrinque, et non
potuit dissolvi quod factum est; et fides quae promissum fuerat non est impleta. Praecedens quidam
tamen poenitentia corrigendum est, sed sequens conjugium dissolvendum non est. Non autem
sic est quando sacramentum conjugii non ut supra dictum est mutua sponsione futurum
promittitur, sed praesentis assensus attestatione firmatur. Quia post talem consensum quicquid
in aliena societate etiam cum carnali commixtione vel procreatione secutum fuerit, irri-
tum omnino esse debebit. Sed putant quidam posteriori factum id ratum constare debere, quia in
eo amplius esse videtur, quod post consensum etiam carnis commixtio secuta est. Sed cur id ratum sta-
re deberet, in quo plus factum est, si totum id quod factum est, nullum factum est? Sic posteriorem propter
conjugium judicant, quia in eo copula carnis fuit, quae in priori non fuit, quasi sanctius proinde secu-
tum fuit. Dicet aliquis quia melius judicandum est, quoniam, quia in eo forsitan si copula se-
cuta carnis fuit, quam in secundo, quod ratum non admittitur. Quid propter quicquid post consensum conjugalem quo
matrimonium factum cum alio vel alia sive in consensu sive in coitu admissum fuerit
ad incestum et adulterium magis quam non ad sacramentum conjugii pertinebit. Sed dicis: Si per
primum conjugalis foederis consensum statim conjugium est, quid est quod sibi vult quod dicit aucto-
ritas aliter non fieri conjugium legitimum, nisi ab his qui super eam feminam potesta-
tem habere videntur, et a quibus custoditur, uxor petatur, et a parentibus propinquioribus